

CAPUT XVI.

Neminem potuisse unquam peccare actualiter sicut Adam peccavit. Infantes verius peccavisse ad similitudinem transgressionis Adami quam adultos. Legem Mosaicam expressam ad similitudinem legis Adamicæ. Legem Adamicam hoc loco intelligendam.

NOTANDA porro sunt ex hoc loco Osee Prophe-
tae. Primum. Neminem unquam mortalium vel
 adultum, potuisse propriè loquendo, peccare actualiter sicut
 Adam peccavit. Ratio in promptu est: quia arbor scientiæ
 boni & mali evanuit ex oculis omnium hominum, ex quo
 Adamus Paradiso ejectus est. Ita ut impossibile fuerit ulli
 unquam mortalium vel adulto, carpere fructum illum ve-
 titum quem Adamus comedit. Atqui, non aliâ ratione cre-
 dendi sunt homines peccavisse in Adamo quàm illâ, quâ
 censentur omnes comedisse fructum illum vetitum quem
 Adamus comedit. Ergo si non credendi sunt comedisse fru-
 ctum illum vetitum actualiter, sicut Adam illum comedit;
 neque censendi sunt peccavisse actualiter sicut Adam pec-
 cavit. Restat igitur ut credantur omnes homines qui pec-
 caverunt in Adamo, peccavisse ad similitudinem peccati
 Adamici. Credantur inquam Gentiles, quibus lex Dei nun-
 quam innotuit, peccavisse per imputationem istius peccati;
 quâ censentur peccavisse, non actu, sed similitudine man-
 ducati fructus prohibiti, & violatæ legis ab Adamo. Cre-
 dantur porro Iudæi quibus lex Dei nota fuit; peccavisse se-
 cundum eandem similitudinem, dupliciter: primò, quate-
 nus transgressio Adami imputata eis fuit, æquè ut Gentili-
 bus: Secundo, quatenus & ipsi transgressi sunt legem Dei
 quam noverunt; sicut Adamus pater eorum primus, trans-
 gressus